DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ANASARCA:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NICOLAUS MARKEY, A. B. T. C. D.
HIBERNUS.

Edidi quae potui, non ut volui, sed ut me
temporis angustiae coegerunt.
Cic.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXV.

SPECTATISSIMO VIRO

MARTINO TUOMY, M. D.

MEDICINAE PRACTICAE IN ACAD. EBLAN. PROFESSORI,

SOCIO COLLEGII REGIS, ET REGINAE MEDICORUM IN HIBERNIA,

&c. &c. &c.

HOC TENTAMEN

ANIMI OB PLURIMA ACCEPTA

BENEFICIA GRATISSIMI

PIGNUS TENUE,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANASARCA.

AUCTORE NICOLAO MARKEY, A. B. T. C. D.

OMNIUM morborum qui genus humanum invadunt, nullus forsitan animum medicorum aeque occupavit a temporibus HIPPOCRATIS usque ad praesens ac Anasarca. Omnis sexus atque aetas, obnoxii aggressioni ejus videntur, neque hyems, neque aestas videntur in id imperium habere.

DEFINITIO.

ANASARCA secundum CULLENUM in classe Cachexiarum enumerata, atque ordine intumescentiarum, etiam ab eo divisa est in serosam, oppilatam, exanthematicam, anaemiam, atque debilium. Ab eo sic definitur. "Corporis totius vel partis intumescentia mollis, inelastica." Morbus hic primum sese ostendit cum talorum atque pedum oedemate circa vesperum, quod breve tempûs mane evanescit, etiam, vestigium digiti, cum pressura fit, retinet; sed cutis partis ejusdem in colorem pallidiorem mutata est. Professor TUOMY sic loquitur "Sometimes an erysipelatous inflammation spreads over the dropsical surface, especially in the legs, whence the skin becomes hot, inflamed, and hard; this appearance is most commonly combined with

" diseased liver, and is not uncommon in habitual drunkards; it happens, too, in those poor people whose naked legs are much exposed to the weather, such as washerwomen."* Sensim oedema femora, atque truncum ipsum occupat, nec sistit hic, verum sese extendit usque ad faciem et palpebras ipsas. Telam reticulatam undique pervadit, et interdum usque ad fabricam eam quae in pulmonibus existit, tunc dyspnoea cum tussi aegrum vexat, non sine expectoratione: urina quantitate parca fit, colore ruberrima sedimentum dejiciens, interdum subalbida, et copiosor; alvus adstricta, tamen subinde diarrhoea morbum comitatur; vultus pallidus, aliquando subflavus, perspiratio suppressa, sitis magna, marcor universalis, atque alia symptomata cachectica adsunt. Cum morbus originem trahit a debilitate locali vel universali, curatio non est tam exspes, quam cum malum ponit sedem in aliquo viscerum. Quando conatus sum symptomata enumerare, dixi quod

---

* Vide Tuomy on the Principal Diseases of Dublin.

cutis persaepe arida existit, atque excretio ejus nimis parca, sed secundum CULLENUM vis medicatrix naturae mirifice talia symptomata amovere tentat profuso sudore, qui erumpit interdum tota corporis superficie sponte sua, et morbum omnino evanescit tempore brevi, aut si hoc non accidisset, forsitan vomitus, purgatio, aut copia urinae major solito, interdum symptomata levat. Si fabrica ullorum organorum quae vitae subserviunt a conditione naturali mutata sit, cum marcore universali, et aliis signis minus faustis, exempli gratia, petechiis, ecchymosi, haemorrhagia, calore febrili, dyspnoea, pulsu debili atque frequente, tum periculum maximum instat. Ars anatomica nobis demonstrat sedem hujus morbi in tela reticulata esse.

CAUSAE EXCITANTES.

Usus liber potationis spirituosae, perspiratio obstructa, compressio venarum, vel forsan etiam vasorum lymphaticorum, evacutiones profusae, exanthemata praecipuae scarlatina, debilitas, febres intermittentes, corpus frigori objectum, quando praeter ordinem naturalem calet, recubitus humi, vel in vestibus madidis.

Preterea alias causas enumerare possem quas nonulli; Medici inter eas collocant, sed hae jam recensitae fortasse sufficiant.

CAUSA PROXIMA.

Multos annos, auctores medici de causa proxima hydropis disputavere, tamen adhuc in obscuro plerumque condi videtur.

Plurimi nunc existimant causam proximam morbi esse absorptionem minutam, vel effusionem auctam, vel utrâsque.

Obstructiones viscerum thoracis, vel abdominis, hodie causam partim proximam esse existimantur.

Hujus Almae Academiae eruditus ingeniosusque Professor Alison, huic opinioni favere, videtur.

RATIO MEDENDI.

TRIA consilia complectitur.

1^{mum}, Causas remotas morbi submovere.

2^{dum}, Fluidum serosum jamdudum collectum deplere.

3^{tum}, Constitutioni vigorem reddere, atque habitum universalem corroborare.

In morbis hydropicis decet nos maxima cura perscrutari an morbus sit idiopathicus an oriatur a morbo alio ; nam si causa amoveatur, saepe curationem possumus efficere, exempli gratia, si morbus a venaesectione repetita oria-

tur, id oportet nos in futurum evitare, vel si originem a febre intermittente trahat, quae aegrum per longum tempus vexaverit, si velimus curationem efficere, hanc primum praeveniendam esse. Si oedema existeret a pressura tumoris, qui obstructionem vasis lymphaticis facit, removeatur. Si oedema membrum invadat ob debilitatem vel luxationem, aut injuriam aliam circumdetur, fasciis laneis, ut partes debiles sustineantur donec balneo frigido, atque aliis tonicis vigorem amissum recuperaverit.

Interdum scarificationes leves sed non sine periculo sphaceli, ob quam causam nunc fere negliguntur, eodem quoque consilio emplastra vesicatoria applicantur, sed aequo periculo.

Excitatio excretionum variarum est modus alius fluidum removendi, quod per telam reticulatam diffusum est. In quo efficiendo emetica, purgantia, diaphoretica, et diuretica, evacuationibus quas producunt, actioni absorbentium favent. Emetica saepe repetita interdum non

sine effectu felici adhibentur. Sed si vires aegri ex usu multum comminutae essent sine diminutione morbi, tum ab administratione eorum meliùs desistitur. Sulphas cupri talium remediorum est optimum, quoniam minus vires frangit quam alia remedia hujusmodi. Remedia purgantia, etiam in morbis hydropicis multum usurpantur, consilio promovendi secretionem, atque fluxum alvi cum actione aucta absorbentium; quoniam stimulus medicamentorum drasticorum citius constitutioni impertitur, idcirco ea saepius exhibentur, quam mitiora. Supertartras potassae cum jalapa, cambogia, elaterium, scammonia, et alia hujusmodi, valde utilia aliquando sunt. Evacuantia drastica tamen utilisssima fiunt cum habitus aegri iners est, et anasarca aeque diffudit se per totum corpus, tum enim toti corpori quasi impetum faciunt. Remedia diaphoretica etiam usurpantur in hujus morbi curatione, et cum sagaciter exhibentur non sunt sine virtute propria; nam reminiscor hominem aegrotum anasarca in nosocomio Eblanensi Patricii Dun equitis aurati, vidisse,

qui sorpsisset multa remedia purgantia aeque ac diuretica sine beneficio ullo manifesto. Tandem noster Professor CRAMPTON, experiri decrevit quid diaphoretica remedia possent, et ideo balnea tepida aegro praescripsit, quibus postquam usus est per tempus breve, sudor profusus toti corpori inducebatur et symptomata hydropica cito evanescebant. Tamen existimo, remediis his proprium periculum esse, praesertim si debilitas adsit.

Remedia stimulantia augent actionem absorbentium, atque hoc modo fluidum collectum amoveatur. Inter haec remedia, praeparata hydrargyri varia utilissima sunt, praesertim si amoveant morbum, a quo anasarca oriatur. Frictio cum pannis laneis saepe repetita durante die ad absorbentia excitanda utilis est. Inter remedia diuretica contra anasarcam, Digitâlis, enumeratur, quam medici nunquam antea in tanta quantitate ac nunc praescribunt; tamen existimo effectum ejus multò esse incertiorem cum exhibetur per se, quam cum aliis remediis hujusmodi conjungitur. Verissimum tamen et maxime dolendum est, effectus horum me-

dicamentorum adeo esse incertos, ut nemo Medicus potest polliceri se aegro per ullum medicamentum urinam movere posse, saepe enim quod validissimum habetur, urinam ne minime excitat. Vidi effectus felicissimos oriri ab usu pilularum e digitali, scilla et submuriate hydrargyri contra opinionem Blackall, qui nisus est demonstrare, ut oporteat nos exhibere remedia discreta, perinde ut urina coagulata fit igne aut acido nitrico, vel si durat immutata. Paenitet me dicere quod doctrina de morbis hydropicis a Blackall allata, vix trutinam experientiae sustinet; vidi enim in casibus quibus fuit urina coagulata, remedia quae Blackall improbat, esse valde utilia contra opinionem generalem. Fortasse Withering solus nobis indicavit in quibus casibus digitalis sit efficax, qui dicit esse inutilem aegris, quibus sunt fibrae tensae atque robur magnum, sed si pulsus sit debilis aut intermittens, atque membra oedematosa cum corpore molli, vultu pallido, cuti frigidâ, tunc virtus diuretica digitalis maximè manifesta. Cum functiones ventriculi sint vitiatae, et nausea vel diarrhaea aegrum

invadit, et cachexia magis pollet quam anasarca ipsa, tum hoc remedium dubium est. Nisi digitalis votis nostris responderit, septimanas duas, tum oportet nos ab usu ejus desistere, et aliud remedium diureticum in ejus locum substituere. Experimenta Doctorum HOME, atque FERRIAR ostendere videntur potassae supertartratem virtute anti-hydropica praestante indutum esse, tamen adhuc sub judice lis est. Varia praeparata junipero existimantur diuretica, Scilla, Spiritus aetheris nitrosi, Lytta, Nicotiana, Pyrola, Colchicum, et alia hujus modi quae non sunt inferiora Digitali et Potassae supertartrati. Debilitas quam medici multi in morbis hydropicis asserunt adesse, vix unquam deterruit Professorem CRAMPTON ab depletione ope ferri et cucurbitularum; ante oculos semper habuit inflammationem subacutam adesse; quam rationem medendi successus experientia ejus confirmat, quoniam anno hoc multos aegros hydropicos ab nosocomio Eblanensi PATRICI DUN equitis aurati, dimissos sanatos tali modo curationis vidi.

Corroborare systema indicatio est tertia quae proposita est. Cum morbus recens est saepe possumus cursum ejus reprimere remedia tonica opportune exhibendo. Sed quandocunque morbus per longum tempus duraverat, tonica periculosum est exhibere, donec remediis antea propositis fluidi collecti evacuatio fiat. Fortasse tonica optima sunt praeparata varia corticis Cinchonae, Myrrhae Ferri, Gentianae, Cuspariae, Cascarillae, et haec igitur opportùne exhiberi oportet, non sine exercitatione moderata quotidie, et quoque pedes, talos, et crura circumdare fascia lata laneâ arcte circumvoluta expeditissimum est; et sursum bene fricare subinde etiam convenit. Interdum inflammatio erysipelatosa, quae saepe in gangraenam currit, pedes corripit Anasarca affectorum. Lotiones refrigerantes, ut solutio acetatis Plumbi, Muriatis et Acetati Ammoniae, etiam decocturam corticis Cinchonae, et cataplasmata ejusdem generis applicationes sunt valde utiles. Si credimus Ferriar, infusum Digitalis in tali affectione non est inefficax cum pro lotione uteretur. Dieta eorum qui Anasarca afficiuntur

sit concoctu facilis et nutriens, praecipue caro cum vegetabilibus aromaticis ut allio, cepa, sinape, armoracia, et potus sit, praecipue remediis diureticis conjunctus. Si situs aegri esset humidus, se transferat in regionem siccam et calidiorem.

FINIS.